

EX SECRETARIA STATUS

Vaticana editio Kyrialis gregoriani vere et proprie authentica declaratur.

Eme ac Revme Domine mi Obme,

Vaticana Kyrialis editio multas, ut Eminentiae Tuae compertum est, disceptationes, apud editores ceteros praesertim, commovit, ita quidem, ut pronum sit credere, minus iustas de eius indole opiniones fuisse diffusas. Hisce ut occurreret, illud Beatissimus Pater iussit me declarare Tibi, Vaticanam editionem Kyrialis non equidem esse emissam, ut ad tempus tantummodo inserviret, sed esse vere et proprie authenticam, ita ut hic et nunc in usum deveniat apud omnes ecclesias. Huiusmodi autem authenticitatis character communisque pro praesenti tempore usus nihil obstare dicendi sunt quominus, si quando, Sanctae Sedis iudicio, mutationes aliquae afferendae esse videantur, eadem induci in laudatum Kyriale, non proximo tamen tempore, possint. Interim Pontifex Summus non dubitat quin recentibus sacrorum concentuum formis Germania omnis obsecundet, eo vel magis quod eadem in natione, id est Argentorati, habita est non multo ante congressio de sacro gregoriano cantu, qua quidem congressione Beatissimus Pater iucunde est affectus.

Dum haec, Suae Sanctitatis mandato, pro Tua atque Archidioecesis notitia Tibi significo, peculiaris erga Te existimationis sensa profiteor, quibus manus Tibi humillime deosculor, ac permaneo

Eminentiae Tuae

Humillimus et addictissimus vere famulus

R. Card. MERRY DEL VAL

Romae, die xxvi Ianuarii a. 1906.

Dno Cardinali ANTONIO FISCHER,

Archiepiscopo Coloniensium.

Coloniam Agrippinam.